



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 30. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Julio et Augusto. — Pretium subscriptionis pro hocce anno contractiore 2 coronae.

### Alma Pax.

Altero iam anno Festum Nativitatis Christi inter arma celebratur. Altera iam vice submissa voce<sup>1</sup> et animo anxio vox<sup>2</sup> illa Sacrae Noctis angelica resonatur:<sup>3</sup> «Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis!»

Quem autem hymnum gaudiorum anno superiore et sine gloria et sine pace cantavimus, eum nunc re vera iam cum gloria victoriarum resonamus, — sed adhuc<sup>4</sup> sine pace. Deus arma nostra miro modo fortunavit; Deo sit gloria! Cum vero ne nobis quidem desit bona voluntas, licet et nobis fiducia puerili a Deo optimo pacem bonam sperare.

Satis iam expiantis<sup>5</sup> sanguinis effusum est, satisque crux grama camporum viridia et albas nives montium rubefecit.

Ah, alma Pax, ubi cunctaris, cur nondum redire audes?



An forsitan nondum satis puniti sunt per arma nostra hostes, homines malae voluntatis? Nondum satis detribulata<sup>6</sup> est gens illa latronum et sicariorum,<sup>7</sup> quae fatali latrocinio tantum orbis incendium fecit? Nondum satis humiliati sunt latronum sicariorumque tres patroni potentissimi? Aut forsitan ille quondam socius, nequissimus nunc hostis perfidus nondum poenas meritas luit?

Utcunque res se habeat, et quidquid Divino fato futurum esse placuerit: nos hocce festo mittis charitatis imo

corde te desideramus, alma Pax! Nobiscum est mater tua, Iustitia, quae est regnorum fundamentum; non dereliquerunt nos tua consanguinitas,<sup>8</sup> Fides, Virtus, Honor Pudorque priscus: quamobrem nos te quoque quamprimum reversuram esse speramus.

Gloria Deo! Pax hominibus!

<sup>1</sup> halk hangon <sup>2</sup> szózat <sup>3</sup> zeng <sup>4</sup> még mindig engesztelő <sup>5</sup> lecsépelni <sup>6</sup> orgyilkos <sup>7</sup> atyafiság.

*Piae preces.*

Carmen Eduardi Moerike «Gebet» latine reddidit  
Guith. Lehmann Vratislaviensis.

*O Ere! quidquid vis, mihi mitte, bonumve  
malumve;  
Laetor, quod manibus manat<sup>1</sup> utrumque tuis.*

\*

*Parce<sup>2</sup> bonis me, Summe Pater, cumulare  
malisque:*

*Quod positum in medio est, hoc satis esse rear.*

<sup>1</sup> ered    <sup>2</sup> imperativus.

**LECTORIBUS MINIMIS.**

Tres fabulae Andreae Fáy,

in Latinum conversae a Carolo Szalay.

**I. Incendium Bagdadiense.** In urbe Bagdad tempore principis Sah-Nadir magnum ortum erat incendium. Apparitores stimulabant incolas, ut incendium restinguerent.<sup>2</sup>

Ego quidem extinguerem — ait primus — sed quid valet vir unicus contra flamas tam rapidas?

Mihi urceus<sup>3</sup> est perparvus; — excusabat se alter — quid vero valent in tantum ignem nonnulli aquae sextarii?<sup>4</sup>

Ego-ne restinguam, cum multi mihi similes spectent incendium ignavi?<sup>5</sup>! — exclamat tertius.

Herclé! ego extinctum me conferrem<sup>6</sup> — inquit quartus — sed domus mea est valde remota,<sup>6</sup> timeoque, ne interea detrimentum<sup>7</sup> capiam.<sup>7</sup>

Ego vero sum faber<sup>8</sup> lignarius<sup>8</sup> — dicit quintus indolens<sup>9</sup> — cui lucrum<sup>10</sup> faciat incendium.

Sic urbs celeberrima<sup>11</sup> et opulentissima paene tota flammis absumpta est.

**II. De senectute.** Herus<sup>12</sup> populum<sup>13</sup> altam vetulam excidere parabat.

Parce, quaeso, senectuti meae et gracili statura! — ingemuit arbor.

Cur tibi parcam? — ait lignator<sup>15</sup> — Praebuisti-ne mihi unquam fructus? An potui aliquando requiescere sub umbra tua gracilis?

Veneranda est senectus, sed tantummodo post eiusmodi vitam, quae etiam aliis profuerit.<sup>16</sup>

**III. De leone et domino.** Est-ne tibi carcer<sup>17</sup> satis amplius? An vis, tibi maiorem construam? — interrogavit dominus vivarii<sup>18</sup> leonem.

Nihil prodest, nisi tantus fuerit, ut etiam silvae capax<sup>19</sup> sit. — respondit bestiarum rex avidus libertatis.

<sup>1</sup> poroszló    <sup>2</sup> elfojt, elolt    <sup>3</sup> korsó    <sup>4</sup> itce    <sup>5</sup> oda menni  
<sup>6</sup> félre esik    <sup>7</sup> kárt vallani    <sup>8</sup> ács    <sup>9</sup> közönyös    <sup>10</sup> haszon  
<sup>11</sup> népes    <sup>12</sup> gazda    <sup>13</sup> jegenyesa    <sup>14</sup> karcsú    <sup>15</sup> favágó  
<sup>16</sup> hasznára volt    <sup>17</sup> ketrec    <sup>18</sup> állatkert    <sup>19</sup> befogadó.

*Ad cingarum senem.*

— Rhapsodium scripsit Michaël Vörösmarty. —  
Latine reddidit Josephus Irsik.

*Psalle,<sup>1</sup> cingare, mercede pota;  
Non iners pedes perpendulabis.<sup>2</sup>  
Quid prodest cum pane et aqua cura;  
Vinum infundendum scypho<sup>3</sup> curabis!  
Semper nam se vita sic habebat:  
Nunc algebat, nunc flagrans ardebat.  
— Psalle, psallere quoad licet,  
Arcus<sup>4</sup> dum tritus valedicet.  
Cor redundat cura, scyphus vino:  
Psalle, cingare, securus<sup>5</sup> imo!<sup>6</sup>*

*Sanguinis fervescat in te vertex,  
Contremiscant crani<sup>7</sup> cerebella;<sup>8</sup>  
Exardescant oculorum flammae,  
Chordae personent sicut procella,  
Heu, quam grandinis<sup>9</sup> calamitate  
Culpant<sup>10</sup> segetes detribulatae.  
— Psalle, psallere quoad licet,  
Arcus dum tritus valedicet.  
Cor redundat cura, scyphus vino:  
Psalle, cingare, securus imo!*

*A sonoro vento disce cantum :  
Ut gemiscit, mugit, rugit atque  
Vellit arbores, confringit naves ;  
Homines, feras ferit<sup>11</sup> necatque !  
Bellum saevit late nunc per mundum,  
Coelum divum quassans<sup>12</sup> et profundum.  
— Psalle, psallere quoad licet,  
Arcus dum tritus valedicet.  
Cor redundat cura, scyphus vino :  
Psalle, cingare, securus imo !*

*Quis hunc gemitum sibi repressit,  
Quid hic eiulat<sup>13</sup> per hunc tumultum,  
Quis convexum coelum pulsat, aut quid  
Infernae crepat molae singultum ?<sup>14</sup>  
Lapsus angelus, vesana larva ?<sup>15</sup>  
Castra fusa, mens Gigantum prava ?<sup>16</sup>  
— Psalle, psallere quoad licet,  
Arcus dum tritus valedicet.  
Cor redundat cura, scyphus vino :  
Psalle, cingare, securus imo !*

*Recrudescere audis in deserto  
Rebellantium feros dolores,  
Fraticidae fustem ferientem,  
Orphanorum funebres moerores,  
Vulturis rapacis advolatum,*

1 húzdz rá 2 lögatni 3 kupa, pohár 4 hegedü-vonó 5 gonddal nem törődő 6 imo corde =  
szived mélyében 7 koponya 8 agyvelő 9 jégverés 10 megsinyleni 11 leverni 12 megrendíteni  
13 jajgatni, üvölteni 14 zokogás 15 bujdosó lélek 16 elvetemült 17 tiszta 18 hangszeren játszani.

*Promethei immanem cruciatum.*

*— Psalle, psallere quoad licet,  
Arcus dum tritus valedicet.  
Cor redundat cura, scyphus vino :  
Psalle, cingare, securus imo !*

*Sidus caecum miseranda terra  
Sine volvatur amara in unda,  
Evadatque e tetra tempestate  
Omni scelerum squalore munda.<sup>17</sup>  
Veniat denique et arca Noae  
Mundo proferax aetatis novae.  
— Psalle, psallere quoad licet,  
Arcus dum tritus valedicet.  
Cor redundat cura, scyphus vino :  
Psalle, cingare, securus imo !*

*Psalle ! — Ne tamen ; nunc parce chordis.  
Est adhuc dies venturus festus ! —  
Quando fessa tempestatis ira  
Evanuerit bellosus aestus :  
Tum tu rursus psalles inspiratus,  
Divis ipsis modulando<sup>18</sup> gratus ;  
Arcum tum si tu recipies,  
Renidebit tristis facies. —  
Vino gaudiorum tum redundans  
Psalle, nihil mundi curam curans !*

## Exempla Memorabilia.

**I. De fide et constantia militis cuiusdam gregarii.**<sup>1</sup> Summus<sup>2</sup> belli gerendi administrator<sup>3</sup> mense Augusto huius anni haec inter alia omnibus militibus publicanda edidit mandata: Russia partem militum Austriacorum, qui mensibus Octobri, Novembri et Decembri anni superioris in captivitatem Russorum inciderant, quasi redemptam suam consanguinitatem domum dimisit; praeterea multi etiam aufugerunt e captivitate et in domiciliis suis latitabant.<sup>4</sup> In pagis,<sup>4</sup> qui sunt circum oppidum Zyd-

czov, exeunte mense Decembri fere quinquaginta vel sexaginta milites sic degebant.<sup>5</sup> Die quodam praefectus stationis militaris<sup>6</sup> Russicae Zydaczoviensis antistitibus<sup>7</sup> pagorum mandavit, ut omnes hos Zydaczovum conducerent. Istis denique ante templum Zydaczoviense congregatis et ex ordine collocatis oppositum est simulacrum caesaris<sup>8</sup> Russorum, cui ipsi sacramenta facere coacti sunt.

Erat autem inter eos etiam pedes quidam

1 közkatona 2 főparancsnok 3 rejtőzni 4 falu  
5 tartózkodni 6 katonai állomásparancsnok 7 elül-  
járó 8 eár.

gregarius e legione<sup>9</sup> ad tuendam patriam scripta<sup>9</sup> XXXIII.-a Malechoviensi, nomine *Ivanus Malyzenko*, qui ad sacramentum faciendum dexteram non sustulerit. A praefecto stationis militaris interrogatus, cur sacramentum non faceret: „Non iurabo!“ — respondit.

Praefectus militum noviplices ei colaphos<sup>10</sup> infregit et deinde iterum eum interrogavit: «Ne nunc quidem iurabis?», „Non iurabo!“ — respondit Malyzenko. — Ego enim iure-iurando fidem iuravi imperatori meo et nemini unquam alii sacramentum faciam. Vos invasores<sup>11</sup> estis; vobis nunquam fidem iurabo. Licet me suspendatis vel glande sclopeti missa<sup>12</sup> interficiatis.

Malyzenko statim abductus, viginti quinque verberibus caesus et in vincula missus est. Altero die iterum productus, cum sacramentum faciendum iterum dene-gasset, denuo viginti quinque verberibus caesus et in vincula remissus est. Quae quidem actio<sup>13</sup> tertio quoque die reiterata: sed Malyzenko constanter renixus est. Quamobrem praefectus militum ad oppidum versus Mikulajov eum deportari ius-sit, et ubi gentium nunc degat, adhuc igno-ratur.

Cum uxor istius Malyzenkonis omnino derelicta remansisset, commotum me sen-tio, ut uxori huius peditis quingentas coro-nas dono mittam, quam summam per cur-sum<sup>14</sup> publicum<sup>14</sup> praefectureae<sup>15</sup> regionis<sup>15</sup> militaris Leopolitanae<sup>16</sup> deferendam et hac mediante<sup>17</sup> antedictae mulieri ad manus persolvendam curavi.

Praeclarum vero hoc exemplum fidei mili-taris et constantiae per circulos omnis exer-citus omnibus militibus gregariis publican-dum hisce mandavi. — Fridericus archidux, summus castrorum dux.<sup>18</sup>

**II. De Columba, quae mortem<sup>1</sup> for-tium<sup>1</sup> obiit.** Milites nostri nunc temporis in campis proeliorum nonnunquam etiam venatione<sup>2</sup> delectantur. Crebro enim evenit, ut in aëre genus quoddam novissimum volucrum,

<sup>9</sup> ú. n. Landwehr-ezred <sup>10</sup> arculcsapás <sup>11</sup> betola-kodó <sup>12</sup> puskalövés <sup>13</sup> eljárás <sup>14</sup> posta <sup>15</sup> kerületi parancsnokság <sup>16</sup> lembérgi <sup>17</sup> közvetíténi <sup>18</sup> tábor-nagy.

aves Russicae, — uti nostri dicunt — id est *machinae<sup>3</sup> volatiles<sup>3</sup>* apparent. Vehementissima tum fit aemulatio inter milites; nam cui huiusmodi volucrem infestam glande<sup>4</sup> sclopeti<sup>5</sup> plumbea<sup>4</sup> traicere contigerit, is praemio XXX coronarum affici solet.

Dum nostri die quodam suspicione sic dictae avis Russicae coelum speculantur: «Ecce columba! — exclamat signifer.<sup>6</sup>

«Re vera est columba; — ait subcenturi<sup>7</sup> — sed quid sibi vult columba hic inter arma, et nunc sub nebuloso coelo autum-nali?»

«Est columba<sup>8</sup> veredaria!» — clamitat quidam militum<sup>9</sup> gregariorum.<sup>9</sup>

«Deiaculamini<sup>10</sup> eam!» — mandat cen-turio.<sup>11</sup>

Disploditur<sup>12</sup> sclopetum et columba plumbō traiecta delabitur in terram. Re vera non est columba pacis ramum oleaceum rostro ferens, sed veredaria, a proditoribus cum litteris ad hostes emissā.

Dum centurio litteras proditorias perlegit, ceteri aviculam insontem collustrant cordaque ferocia ferme puerili quadam miserazione commoventur.

«Ah, quam dire dilacerata est miser-cula! — ait voluntarius,<sup>13</sup> cuius in ore juvenili iam duo vulnera rubent.

«Nihil est! — refert instructor<sup>14</sup> cohori-tis<sup>14</sup> — Sic saltem mortem fortium obiit.»

«Attamen ne in amissorum<sup>15</sup> quidem catalogo<sup>15</sup> erit» — arbitratur decurio.<sup>16</sup>

«Quid vero obstat, — inquit volunta-rius — quin ei exequias fortiter defuncto-rum celebremus?»

Placuit pium propositum. Statim sepul-crūm efossum est non ita profundūm, dein columba apte imposita et leniter humo obruta. — Aliquis militum etiam crucem parvam e viridi ramo abietaceo factam erexit ei miserae.

Sed iam satis erat pietatis et iam signo dato citatissime procedendum ad pugnam.

<sup>1</sup> hősi halál <sup>2</sup> vadászat <sup>3</sup> repülőgép <sup>4</sup> ólomgolyó <sup>5</sup> puska <sup>6</sup> zászlós <sup>7</sup> hadnagy <sup>8</sup> postagalamb <sup>9</sup> köz-katona <sup>10</sup> lelöni <sup>11</sup> százados <sup>12</sup> dördül <sup>13</sup> önkéntes <sup>4</sup> örmester <sup>15</sup> veszeség-lista <sup>16</sup> tizedes, káplár,

**GEOGRAPHICA**

**Novam mappam delineari.** Hodie quaestiones geographicas pertractare idem est, ac res gestas enarrare. Omnia enim rerum geographicarum ea nunc maxime nostra<sup>1</sup> interest: <sup>1</sup> quaenam orbis<sup>2</sup> nostri<sup>2</sup> mappa post hoc bellum<sup>3</sup> orbis<sup>3</sup> sit futura?

Sesquialtero<sup>4</sup> iam anno fines novarum tabellarum geographicarum ferro et sanguine delineantur.<sup>5</sup> Status vero huius operis ingentissimi nunc exeunte anno 1915.-to sic se habet:

In occidente, quae erat terra Belgica, omnis, necnon et septem comitatus<sup>6</sup> Francogalliae sunt sub potestate Germanorum.

Inter septentriones<sup>7</sup> et orientem<sup>7</sup> omnis Polonia, quae erat Russica, et praeterea nonnulla gubernia<sup>8</sup> usque ad lineam, quae perducitur<sup>9</sup> inter Bucovinam et sinum Riganum, sunt in sociorum nostrorum Germanorum ac in nostra manu.

In paeninsula<sup>10</sup> Haemi, seu Balcanica adhuc durant proelia, sed Servianis iam omnino fusis fugatisque et e finibus suis expulsi. Hos quoque fines ope Germanorum et insuper novis adiunctis nobis sociis Bulgaris mutavimus. Rascia<sup>11</sup> fuit, et ne Montenegro quidem iam diu erit.

Tam prosperi eventus in paeninsula Haemi eo maioris sunt momenti,<sup>11</sup> quod hac re et cum novissimis sociis Bulgaris, et cum prioribus Turcis commeatum<sup>12</sup> nacti sumus apertaque est nobis via maxima a Berolino per Budapestum, Sophiam et Constantinopolim usque ad Bagdadum, quod est caput Mesopotamiae.


Hostium vero nostrorum, nec Anglorum Francogallorumque oppugnatio in Dardanelas, nec Italiae impetus in nostros fines adhuc quidquam valuit.<sup>13</sup>

Optandum nobis est, ne rerum, neve finium in peius posthac fiat commutatio.

<sup>1</sup> érdekel minket <sup>2</sup> a mi világészünk <sup>3</sup> világháború  
<sup>4</sup> másfél <sup>5</sup> rajzol <sup>6</sup> megye <sup>7</sup> északkelet <sup>8</sup> kormányzóság <sup>9</sup> vonatik <sup>10</sup> félsziget <sup>11</sup> jelentőség <sup>12</sup> közeledés, összeköttetés <sup>13</sup> elér valamit <sup>14</sup> Rácország.



**Claudius Vaszary**, cardinalis, princeps<sup>1</sup> primas<sup>1</sup> Hungariae, archiepiscopus Strigoniensis emeritus, anno aetatis octogesimo tertio, die tertio ante Nonas Septembres vita defunctus est. Ex parentibus simplicis<sup>2</sup> conditionis,<sup>2</sup> sed ad maiora natus erat. Ipse quidem nonnisi cellam monachi Bene-



dictini cathedramque professoris appetebat: sed divina providentia exaltavit eum, prius ordinis sui principem in montem<sup>3</sup> sacrum Pannoniae,<sup>3</sup> deinde ad summam totius Hungariae ecclesiasticam dignitatem. Semper memorabilis erit eius oratio, quam inter sollemnia millennaria anno 1896-to coram rege apostolico et etiam ad ipsum regem habuit. Ceterum erat vir ingenio miti, mi-

<sup>1</sup> hercegprimás <sup>2</sup> szerény sorsú <sup>3</sup> Pannonhalma

sericors erga pauperes usque ad largitionem,<sup>4</sup> pacis denique amantissimus. Mortem obiit in villa sua Balatonfürediensi, sepultus vero est in oppido natali Kesztely.

**Duo actores<sup>5</sup> scenici<sup>5</sup>** praeclari non ita pridem mortui sunt, etquidem Arpadus Gabányi et Eduardus Ujházi, qui ambo artifices scenae<sup>6</sup> nationalis<sup>6</sup> Hungaricae Budapestinensis erant. Longum est edisstare, quam bene<sup>7</sup> hi de scena et lingua Hungarica meruerint.<sup>7</sup> Et Thalia et Genius Hungaricus merito luget.

**Josephus Lévay**, solus clarorum praedecessi saeculi poetarum adhuc superstes,<sup>8</sup> die decimo quarto ante Calendas Decembres nonagesimum vitae annum complevit. Ex omnibus suis carminibus, quae quidem plurima nitida et suavissima composuit, maxime eminet elegia, quae inscribitur *Mikes*. Adeo ingenuos<sup>9</sup> Hungaris animos sensusque et tam artificiose resonat elegia ista, ut si praeter hanc nihil aliud scripsisset, etiam hoc solo carmine exegisset sibi monumentum aere perennius.

**Praemio Nobeliano**, quod inter cetera honorandis medicinae<sup>10</sup> emolumentis<sup>11</sup> constitutum est, hoc anno *Robertus Bárány dr.* medicinae, eiusdemque artis in universitate scientiarum Viennensi professor, affici meruit. Vir ille doctissimus genere Hungarus est. Deget<sup>12</sup> nunc in tristi captivitate apud Russos, sed et eo perlatus est ad eum nuncius laetissimus.

**Catenipons<sup>13</sup> Széchenyianus.** Pons, qui ad iungendam Budam cum Pesto primus in Danubio factus est, unus est omnium per orbem pontium pulcherrimus. Auctor huius pontis faciundi erat comes Stephanus Széchenyi, excogitator<sup>14</sup> structurae<sup>14</sup> hydrotechnicus<sup>15</sup> *Guilhelmus Tierney Clark*, operi denique effectuando<sup>16</sup> per decennium ab anno 1839-mo usque 1849-um praearerat architectus<sup>17</sup> *Adamus Clark*. Pons est eius generis, qui ab architectis *pendulus*,<sup>18</sup> vulgo vero *pons catenosus*<sup>18</sup> nuncu-

petur,<sup>19</sup> propterea quod de structura catenosa pendet. Pons noster labentibus annis aliquantum debilitatus<sup>20</sup> nunc iam renovandus erat. Reconstructus est autem biennio ita, ut adhibitis catenis novis et omnino nova structura ferrea firmior evaserit, ac



ante fuit, nec tamen gracilitas<sup>21</sup> ullum patiatur detrimentum. Commeatui<sup>22</sup> publico rurus apertus est die sexto ante Calendas decembres, denominatusque in memoriam auctoris comitis Stephani Széchenyi Catenipons Széchenyianus.

<sup>19</sup> neveztetik   <sup>20</sup> meglazul   <sup>21</sup> karesúság   <sup>22</sup> közlekedés.



**Iuvenis** quidam gloriabundus<sup>1</sup> inter convivium multa iam incredibilia enarraverat de itinere suo per Hispaniam facto.

— Vidi — pergit<sup>2</sup> explicare — etiam flumen quoddam mire sonantis aquae; sed vae, nominis eius oblitus sum.

Ad quae patruus,<sup>3</sup> illum reprehensurus:  
— Tu men...

Sed iam interrumpitur ab illo garrulo:<sup>4</sup>

— Ita, ita! Hoc ei nomen erat: *Tumen*. Quin etiam alium vidi fluvium valde mirum. Nunc vero ne huius quidem nomen venit mihi in mentem...

<sup>1</sup> dicsekvő   <sup>2</sup> folytat   <sup>3</sup> nagybátya   <sup>4</sup> fecsegő

<sup>4</sup> bökezüség   <sup>5</sup> színész   <sup>6</sup> nemzeti színház   <sup>7</sup> nagy érdemet szerez   <sup>8</sup> életben lévő   <sup>9</sup> veleszületett   <sup>10</sup> orvosi tudomány   <sup>11</sup> eredmény   <sup>12</sup> él   <sup>13</sup> lánc hid   <sup>14</sup> tervező   <sup>15</sup> vízműépítész   <sup>16</sup> megvalósítás   <sup>17</sup> mérnök   <sup>18</sup> függő

— ...tiris — exigit<sup>6</sup> patruus sententiam, in qua interruptus erat.

— Sic est; hoc est! Re vera *Tiris* hic fluvius erat — occupat<sup>6</sup> ille gloriabundus.

— Flumina tua — ait patruus — misere tibi conviantur:<sup>7</sup> *Tu mentiris.*<sup>8</sup>

(Gerg. Szekeres.)

**Rustica** quaedam gallum secum ferens intravit ad horologiorum<sup>9</sup> opificem.<sup>9</sup>

**Opifex**: Salve, bona mulier! Quid optas? Visne horologium emere, an forsan gallum vendere?

**Rustica**: Nec emere, nec vendere volo, sed istum gallum reparandum attuli.

**Opifex**: Heia, carissima! Gallum reparandum?... Abhinc triginta iam annos horologiis reparandis operam dabam, sed gallus reparandus adhuc mihi nondum allatus est.

**Rustica**: Atqui gallus iste nobis est horologium et est reparandus; nam ex quo crescunt noctes et dies decrescunt, diem de die tardius nos cantu<sup>10</sup> suscitat. (C. Dolezik.)

**Puer** quidam rusticus Budae pontem<sup>11</sup> catenosum<sup>11</sup> et ex adverso viam<sup>12</sup> cavernatam<sup>12</sup> diutius collustrans denique patrem affatur:

— Nonne, pater, caverna<sup>13</sup> illa tam longa ideo monti incavernata<sup>14</sup> est, ut quando pluit, pons in eam intromoveri possit?

**Xenocrates** maledico<sup>15</sup> sermoni quorumdam summo silentio intererat. Tum unus ex sociis eum increpans:

— Cur — inquit — tu solus linguam tuam ita cohibes?

— Quia dixisse me — respondit ille — aliquando<sup>16</sup> poenituit, tacuisse nunquam.

**Socrates** iuvenem quemdam, qui sibi præ ceteris prudens esse videbatur societatemque hominum fugiebat, hisce sustinuit:<sup>17</sup>

— Dic sodes, cur tu semper solus ambulas, nec ullius unquam frueris familiaritate?

— Cum sim rationis particeps, nunquam sum solus — ait ille — satisque sunt mihi amicitiae<sup>18</sup> necessitudines<sup>18</sup> cum mea mente.

— Cave — respondit Socrates — ne cum malo contrahas<sup>19</sup> necessitudinem!<sup>19</sup>

**Platon** tum demum beatum terrarum orbem futurum esse praedicavit, cum aut sapientes regnare, aut reges sapere coepissent.

**Athenis** in senatu promulgatum<sup>20</sup> erat, ut Alexander Magnus in numero deorum et pro filio Iovis haberetur. Id vero Athenienses aegre<sup>21</sup> ferebant<sup>21</sup> et Alexandro divinos honores decernere omnino recusabant. Tum Demades, qui tempore Demosthenis et ipse orator erat praestantissimus, in medium processit et dixit: «Videte, Athenienses, ne dum coelum<sup>22</sup> custoditis,<sup>22</sup> terram amittatis!»

5 végez 6 mepragadni a szót 7 rápirít 8 hazudni  
9 órás 10 kukorékolás 11 lánchid 12 alagút 13 barlang  
14 bevájni 15 rágalmazó 16 egyszer már 17 feltartóztat  
18 barátságos érintkezés 19 barátságot köt, társalog  
20 kihirdet 21 zokonvesz 22 az ég tekintélyét megóvni.



### I.

**Romanae** sum deus antiquitatis<sup>1</sup> et etiam nunc temporis per orbem dirus rex: dempta autem prima consonanti sum pacis pulchra lex.

FR. FR. M. SK

### II.

**Constant** è duabus syllabis, quarum prima est contrarium civitatis, altera vero est coniunctio. Si autem receperis mali contrarium eiusque primam syllabam illis praefixeris, evident<sup>2</sup> anteindicatorum<sup>3</sup> fortes adversarii. — Qui sint isti duo populi?

FR. FR. M. SK

### III.

**Iam** et in pace affinitate<sup>4</sup> loci iungebantur, sed tantummodo post mortem; nunc vero in bello et vitae et mortis intima iunguntur familiaritate.<sup>4</sup> Differunt inter se unica littera, ita vero, ut ea, quae illam litteram praefixam habet, sit valde longalonga; haec denique, quae littera illa carent, sint valde<sup>5</sup> multa-multa. FR. FR. M. SK.

<sup>1</sup> ókor <sup>2</sup> kijön <sup>3</sup> körülírással jelzett <sup>4</sup> rokonság

## IV.

a	a	a	a	a	b	b	b	c	e
e	e	e	e	e	e	h	h	i	i
i	i	l	l	l	l	m	m	n	n
n	n	o	o	o	o	o	o	o	o
p	p	r	r	r	s	s	s	s	s
s	s	s	t	t	u	u	u	u	t

Ex his litteris componenda sunt in singulis dentibus pectinis nomina hisce indicata:

1. nomen nummuli Graeci,
2. flumen clarum Germaniae,
3. nomen dei Delphici,
4. regio Graeciae antiquae,
5. nomen deae marium,
6. insula maris Aegaei,
7. aliud nomen Britanniae,
8. nomen venti asperrimi,
9. aliud nomen pro ianua,
10. flumen notum e vita Caesaris,
11. vir, quem cecinit Vergilius.

Initia nominum in dorso<sup>5</sup> pectinis reddent tibi sententiam aequa piam ac utilem.

(Carolus Dolcik.)

## V.

Semper me vituperatis<sup>6</sup>  
Ut specimen<sup>7</sup> tarditatis.  
At dum vos ne loco quidem  
Moveretis opus idem:  
Ambulans in prat' in horto  
Domum meam mecum porto.

## VI.



5 gerinc 6 becsmérél 7 mintakép.

## Solutiones aenigmatum

numeri duplicis (13—14.), qui erat ultimus anni superioris, ipsis aenigmatibus praecipites subscriptae leguntur. Hinc factum est, ut nemo solutiones moderatori miserit nec quisquam hac vice praemio afficiendus sit. Pro futuro autem recte dissolventibus rursus praemia proponentur.

## Ad lectores.

Post silentium sex mensium pulsat ianuas vestras numerus primus anni VII. *Iuventus*. Sub auspiciis recentioris nominis iterum videtis plagulas notas, unde nomen meum centies vobis offerebatur. Laboribus nunc atque aetate paene confectus carissima occupatione relicta discedere cogor. Neque tamen omnino valedicturus sum; immo quotiens vacabo, ad nutum moderatoris, mihi semper familiarissimi, operam meam plagulis acceptissimis praebere non recusabo. Rogo vos, ut benignitatem, qua me sex annis honorabatis, et posthac *Iuventuti* bonis animis praestare velitis. Et vos valete! —

Budapestini, Id. Dec. MCMXV.

Stephanus Székely.

Ab antecessore meo atque amico carissimo gratiis vestris commendatus itidem vos rogo, Benevoli Lectores, ut *Iuventutem* dehinc a me moderandam benignitate supra laudata recipiatis. Salvete!

Datum ut supra.

Iosephus Irsik.



Guilhelmo Lehmann Vratislaviensi: Salve, vir colendissime lyraeque Latinae magister! Novus te salutat moderator atque certiore te facere cupit opera opusculaque tua sibi aequa expectata et accepta fore, ac priori fuerunt moderatori. — FR. FR. M. SK. Nescio, ubi fossarum te *Iuventus* nostra conuentura sit. Praeter nonnulla publicata et ad alia tua revertar. — Carolo Szalay. (Kiskunhalas.) Gratias plurimas pro tuo erga *Iuventutem* eximio studio. Salve! — Carolus Dolcik. *Iuventutem* tibi expedientiam curavi. Ut nonnulla commutare licet, hanc veniam petimus... Hoc idem etiam Georgio Szekeres nunciamus. — Plurimum litteras, ex quo munus moderatoris subii, nondum perlegere, aut nondum satis perpendere potui. — Nonnullorum litterae subscriptoriae traditae sunt administratori.

Moderator ephemeredis: JOSEPHUS IRSIK,  
Budapestini, VIII., Koszorú-utca 27. I. 9.,  
ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeredis:  
Magyar Középiskola.